

hedificare domum in ea, tunc ipse dominus teneatur in ea(m)
 hedificare dictam domum infra terminum a dominio Tergesti
 constitutum, sub pena quinquaginta libr. par. ¶ Et quilibet sic
 receptus in civem civitatis Tergesti facere teneatur continuam
 residentiam et habitationem civitatis Tergesti et omnem an- 5
 gariam factionem et aqualanciam, ut alii cives Tergesti fatiunt,
 alioquin non habeatur pro cive et deponatur. ¶ Et quicumque
 forensis qui in civitatem Tergesti venerit et in ea habitaverit
 et fecerit in comuni omnia que alii cives fatiunt, si infra
 quinque annos post eius adventum non iuraverit vicinitatem 10
 et habitationem continuam civitatis Tergesti secundum for-
 mam statuti, non habeatur pro cive, sed a quinque annis in
 antea, fatiando predictas angarias, in civem reputetur, si fe-
 cerit domum in Prelaser ut predictum est; et si steterit in
 civitate Tergesti a tribus annis superius, puniatur ut civis, 15
 exceptis mercenariis. ¶ Et si quis receptus fuerit deinceps in
 civem ut predictum est, de hiis que fecerit et contrasserit cum
 forensibus ante receptionem vicinitatis non detur sibi per co-
 mune vel divisum auxilium vel favorem ad fatiendum aliqua
 pignora. ¶ Preterea interdicimus quod alicui forensi nec habi- 20
 ta[n]ti in civitate Tergesti dentur pignora super aliquem fo-
 rensem deinceps per dominium Tergesti, sub pena quinquaginta
 libr. par. ¶ Item ordinamus quod quelibet persona fo-
 rensis que venerit Tergestum causa habitandi et permanendi
 82 B in civitate Tergesti, dum fuerit // liber et absolutus, ut supra 25
 dictum est, et habitaverit, si iudicibus Tergesti existentibus
 tunc videbitur illam talem personam fore et esse sufficientem
 ad fatiendum vardas et custodias et omnes alias angarias et
 factiones quas fatiunt alii cives Tergesti, teneatur et debeat
 facere angarias et factiones ut ei fuerit inpositum, sed ha- 30
 beatur et tractetur pro forense, donec non fecerit unam domum
 in civitate Tergesti in contrata Prelaser per modum supradic-
 tum. ¶ Sed ipso fatiente dictas angarias possit conducere vi-
 num suum Tergestum, quod habebit de vineis suis et per ipsum
 pastinatis¹⁾ que essent in districtu Tergesti tantum, et de vi 35

¹⁾ *pastinatum*. Statuti 1365: *pastinatis*.